Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35083
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



tabulum suum i ciuitate eius tabernaculum suum: tenebrosa aquarum in nubibus aeris. Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt: grando et carbones ignis. Et tonuit de celo dominus et altissimus dedit vocem suam: grando et carbones ignis. Et misit sagittas suas et dissipauit eos. fulgura multiplicauit et conturbauit eos. Et apparuerunt fontes aquarum: et reuelata sunt fundamenta orbis terrarum. Ab increpatione tua domine: ab spiratione spiritus ire tue. Misit de summo et accepit me: et assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis: et ab his qui oderunt me. quia confortati sunt super me. Praeuenerunt me in die afflictionis mee: et factus est dominus protector meus. Et eduxit me in latitudine: saluum me fecit quoniam voluit me. Et retribuet mihi secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quia custodiui uias domini: nec impie gessi a deo meo. Quoniam omnia iudicia eius in conspectu eius: et iustitias eius non repulsi a me. Et ero immaculatus cum eo: et obseruabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius. Cum sancto sanctus eris: et cum uiro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris: et cum peruerso peruertens. Quoniam populum humilem saluum facies: et oculos superborum humiliabis. Quoniam tu illuminas lucernam meam: domine deus meus illuminabit tenebras meas. Quoniam in te eripiar a tentatione: et in deo meo transgrediar murum. Deus meus impolluta uia eius. eloquia domini igne examinata: protector est omnium sperantium se. Quis quis deus praeter dominum: aut quis deus praeter deum nostrum. Deus qui praecinxit me uirtute: et posuit immaculatam uiam meam. Qui praecepit pedes meos tamquam cerborum: et super excelsa statuens me. Qui docet manus meas ad praelium: posuisti ut arcum aereum brachia mea. Et dedisti mihi protectionem salutis tue: et dextera tua suscepit me. Et disciplina tua correxit me in finem: et disciplina tua ipsa me docebit. Dilatasti gressus meos subtus me: et non est infirmata uestigia mea. Persequar inimicos meos et comprehendam illos: et non conuertar donec deficiant. Confringam illos nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Et praecinxisti me uirtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: et odientes me disperdisti. Clamauerunt nec erat qui saluos faceret. ad dominum nec exaudiuit eos. Et comminuam eos ut puluerem ante faciem uenti: ut lutum platearum delebo eos. Eripies me de contradictionibus populi: constituis me in capite gentium. Populus quem non cognouerunt seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. Filii alienigenarum mentiti sunt mihi: filii alienigenarum inuetterati sunt et claudicauerunt